ROM.
C

COLLEZ. ROM.
3 F
30
BIBL. V. E

COLLEZ. ROM.
1 C
30
BIBL. V.E.

1.C.30

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
3 F 30
1

De prodigioſis Tyberis Inundationibus ab orbe cõdito ad annũ M. D. X X X I.

Cõmentarii, Reuereñ. D. Ludouici Comeſii: Sacri Palatii cauſarum Auditoris: ac Viri undecunq; doctiſſimi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Ex legato ...



AD REVERENDISSIMVM ac Ampliſſimum Patrem .D. Garſiã de Loayſa S. R. E. Cardinalem Ludouicus Comeſius Hiſpanus Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditor S. P. D.

CVM a diluuio illo Tyberis ad domum tuam Pater ampliſſime, ueluti ad Deucalionis nauim confugiſſem, hic a tuis quamuis luculento, ac liberali plane & regio apparatu (quo ſæpe ſoles ſtudioſos excipere) acceptus eſſem, animo tamen dolebam miſeram Vrbis conditionem. Priuatus enim eram grauiſſimo conſpectu Patrum, quorum cottidiano colloquio ac communium ſtudiorũ commertio in curia & foro ſæpe fruebar. Carebam pulcherrimis illis Reip. muneribus, quæ ſummis meis laboribus laudem mihi & gloriam afferre poterant. Carebam priuatis ſtudiis, ac librorum meorum ſupellectile, quorum uſu grauiſſimas curas leuare conſueueram. Videbam inſuper furore Tyberis omnia in præceps agi, atque undis ſuffundi. Nec poteram in tantis Reipub. malis non uehementer dolere ac mœſtus eſſe, donec tu Pater Opt. litteratorun columen, ab Exquiliis rediens ſapientiſſimis tuis ſermonibus ac dulciſſima conſuetudine mœrorem animi ſuſtuliſti. Sic itaque poſt uerba multa (ut fit) ultro citroque habita forte in ſermonem Alluuionum incidimus. Aderant ibi ex tuis periti multi, qui contentioſe quædam Tyberis prodigia referebant. Tunc mihi, cui nihil erat hoc tempore, in quo animum ſubleuarem, maior cupido inceſſit uetera reuocare ſtudia, a quibus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

4

me paululum forenſes cauſæ diuerterant, & ludicra quædam ad rem pertinentia forte gerris Syracuſanis uaniora in ordi/nem redigere, ac tibi alioqui ingentibus curis obruto, leuan di animi cauſa priuatim dicare, non ea lege tamen, ut in pu/blicum exeant. Nam neque talia ſunt, quæ lucem habere mereantur. Neque rurſus tanto candore polita, ut perito/rum lectione ſint digna. Et ſi uideri poſſent digna, tanta ſunt celeritate congeſta, & tam modico temporis ſpatio, & il lo quidem calamitoſo confecta, quod cum ad emendatio/nem ocium defuerit, reprehenſione carere non poterunt. Vtcunque ſit, dabis ueniam facilitati meæ, nam cum tute mihi auctor audendi fueris, agnoſcere fœtum debes intempe/ſtiuo partu abortum. Vale ſtudioſorum decus, & me, ut fa cis, ama.

Romæ pro foribus templi. S. Io. Euangeliſtæ e regione domus Reuerendi Domini Thomæ de Prato Datarii integerrimi.

C. VIBIVS C. F. RVFVS
SEX. SOTIDIVS. SEX. F. STRABO
LIBVSCID.
C. CALPETANVS C. F. STATIVS RVFVS.
M. CLAVDIVS M. F. MARCELLVS
L. VISELLIVS C. F. VARRO
CVRATOR. RIPARVM ET ALVEI TYBERIS
EX. S. C. TERMIN.

REVERENDISSIMO AC ILLV- STRISS. D. D. GARSIÆ DE LOAYSA CARDINALI OXOMENSI

F. MINITIVS CALVVS S.

FACERE non poſſum Ampliſs. Domine, quin tibi, cum meo, tum vero eruditorum omnium nomine ſingulares gratias agam, qui libellum hunc de Inundationibus Tyberis ab eximio & ſummæ eruditionis viro Ludouico Gomeſio doctiſſime prudenterq; conſcriptum, per me typis excudi: ac in lucē dari voluiſti. Eoq; me hercule magis ſtudioſi omnes tibi debere fatebũtur, quo id inuito auctore, qui Cõmentarios ipſos tibi vni dedicauerat, tua de cauſa ſunt adepti. Te enim, qui præterq; ꝙ inter cæteros Chriſtianæ Reipublicæ Cardinales maxime ſplendes, & ab omnibus ob tuas præcellētes virtutes, & præclaras animi dotes vehementer commendaris, tanta præterea apud Clementem VII. Pont. Max. Cæſaremq; auctoritate polles, quāta hiſce temporibus nemo, hac in re non modo perbenignum, verum etiam cunctis ſtudioſis, quantũ in te eſt, commodare, illoſq; non mediocriter fouere oſtendiſti. Qui quidem, quod tibi duntaxat & eruditioni & nõ paruæ oblectationi eſſe poterat, ad communē litteratorum omniũ vſum & commoditatē edendos vltro mihi libentiſſime dediſti. Atqui prætereа libellũ hunc a pleriſq; legendum eſſe cenſeo: nanq; ad eximiā doctrinam atq; ſcientiā, quam exinde lectores colligent, illud quoq; accedet, quod adeo clare, diluciděq; maximæ Tyberis Alluuiones, quantumque mali portendere conſueuerint, in eo deſcribuntur, vt quiſq; diligenti horum Commentariorũ lectione facile intelligens innumeras & grauiſſimas calamitates Chriſtianis omnibus ob corruptiſſimos vitæ mores imminere, curet pro ſalute vitā vere Chriſtianam inducere. Ago igitur denuo gratias immortales Ornatiſſime domine, & quoniā huiuſmodi ſalutari beneficio a te potiſſimũ ſumus affecti, & quod immortalitati florentis gloriæ ipſius auctoris hoc pacto feliciter conſuluiſti. Vale, & me inter tuos clientes adnumerare velis, te etiam atq; etiam rogo.

CAVTVM EST SEVERISSIMO EDICTO CLEMENTIS .VII. PONT. MAXIMI: NEQVIS PRÆTER FRANCISCVM MINITIVM CALVVM: INTRA PROXIMVM QVINQVENNIVM COMMENTARIOS HOSCE IMPRIMAT: VEL AB ALIIS TEMERE FORSAN IMPRESSOS VENDAT.



AD SANCTISSIMVM CLEMENTEM SEPTIMVM PONT. MAX. F. MARII MOLSAE EPIGRAMMA.

Quod Pelago æquarit tumidarum flumina aquarum
    Tybris, & obſeſſa fluxerit Vrbe minax,
Ne deſponde animum, Clemens, dant omina læta
    Hæc tibi cœruleis ſtagna refuſa uadis.
Sic tua non capient olim te regna, ſed ingens
    Oceani æquabis finibus Imperium.

DE TYBERIS ORTV NOMINE ET NVMINE DEQVE EIVS inundationibus / & earum euentu per Ludouicum Comeſium Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum Auditorem / & Sacræ Pœnitentiariæ Regentem .

Particula prima de Ortu, Nomine, & Numine Tyberis.

SATIS conſtat Tyberis flumen ex Apennino fonte defluẽs / apud antiquos multiplicis fuiſſe nominis . Erat tamen non modica cõtentio cuius potiſſimũ ditionis eſſet: quo etiam nomine nũcuparetur. Nam Ethruria Tyberim dicebat ſuum: quia oriebatur in Samnio, & negabat eſſe originis Latinæ: & quia Volturreni Imperii limes erat / vt inquit Fabius Pictor: Volturnum appellabat. Verum / quia Samniũ opp.dum iuxta mare & Tyberim Colonia Romana fuit: Roma vt ſuum vendicans Volturnum etiã appellabat. Error enim inde prouenerat quia Volturni nomẽ variis de cauſis vtriq; genti pertinebat. Volturnus enim deus Tyberis erat, vt teſtis eſt Varro libro primo de lingua Latina/ quem Ethruſci ab eis habuiſſe nomen & originem contendebant: vel ex Volturna Regia Ethruſcorum vrbe: de qua Plinius libro tertio meminit: ſiue a Volturno/quod dicebatur Capua / quæ ſub ditione fuerat Ethruſcorum: vt videre eſt apud Liuium libro quarto ab vrbe condita, & Fabiũ pictorẽ de origine vrbis: aut a Volturno fluuio, qui Ptolemęo & Plinio teſtibus / oriens in Samnio & iuxta Capuam prærerfluens mari mergitur: vel a Vertumno / qui erat princeps & municipalis deus Ethruriæ: qui ſicut Ianus in vrbe pariter colebatur: vt Propertius auctor eſt quarto Elegiarum / & Donatus explicat ex verbis Horatii Epiſtolarum libro primo. Nam Vertumni numine factum eſt: vt Roma / quæ propter inundationes Tyberis/ paluſtris erat: & ad habitãdum incommoda/ apta & idonea fieret. Nam factis Vertumno Sacrificiis, Tyberis in Alueum ſuum rediit: vt refert Fabius pictor lib. I. de Aureo Sæculo. In tanta igitur vetuſtarũ rerum contentione/ Ethruſci nominis ambiguitatem tollere cupientes/ Tyberim appellarunt Tuſcum: qui etiam Tuſcorum deus erat: vt Propertius elegia ad Vertumnum meminit. Sed labentibus deinde annis illa veterum Volturni denominatio in deſuetudinem abiit, & plu

ra alia nomina ſortitum eſt flumen, quorum ſeriem & proprietatem diffuſius explicat Annius lib. V I I. commentariorum & Bocatius in lib. de Fluminibus/quorum præcipue tria iſta fuerũt: Tybris/ Albula/ & Tyberis, vt ex Plinio & Marone Torrellius colligit. Illud tamen inter tot veterum altercationes adeptus eſt laudis ac tantum gloriæ, vt inter mundi flumina carminibus vatum toto ſit orbe celeberrimus. Nam & Xanthum atq; Symoentem Græcorũ memoria illuſtres ſuperat teſte Bocatio lib. V I I. Genealogiæ non ſolũ prodigiorum euentu, quam vi quadam & potentia aquarum iuxta illud Ouidii. I I. Methamorphoſeos.

Cui fuit rerum promiſſa potentia Tybri.

Et libro. I I I I. Faſtorum.

Tuq; futuræ parens Tybri potentis aquæ.

Tenuis primo ortu fluuius, deinde quinquaginta fere auctus in immenſum euadit: ideo teſte Plinio quarumlibet magnarum nauium capax eſt/ & rerum toto orbe naſcentium mercator placidiſſimus, cuius alueus tantæ profunditatis inuenitur, vt dum Obeliſcus ille inſignis. C. Cæſaris qui hodie in Vaticano conſpicitur: in vrbẽ per oſtia Tyberina traducendus eſſet: facta tunc aquarum dimẽſione, compertum fuit tantum aquæ ineſſe Tyberi, quantum Nilo/ vt idem Plinius auctor eſt lib. X X X V I. Hic aquarum incorrupto liquore dictus Sacer, adeo quod numen habere creditur. Et quamuis eius Numinis æſtimationẽ Æneas Siluius epiſtola. C. I I I. variis deludat originibus: illud tamen certum eſt veteres ob eius numinis reuerentiam ad ripam eius ædificia ponere noluiſſe. Nam ad numen Tyberis etiam referunt quod virgo illa Veſtalis aquam ex Tyberi hauſerit perforato vaſe, nec diffluerit. Simul etiam quod Chlœlia virgo vna ex obſidibus Porſenę datis, fruſtrata cuſtodes dux agminis virginum/ inter tela hoſtium Tyberim tranauit incolumis: auctore Liuio libro ſecundo. Inde Iuuenalis Satyra ſexta.

Imperii finem Tyberinum Virgo natauit.

Et quod de Horatio Coclite iidem auctores teſtantur: ad numen etiã aſcribunt: quando præciſo ponte Sublicio dixit. Tyberine pater, te ſancte precor hæc arma & hũc militem propitio flumine accipias. Neq; hoc aliquis facile cauilletur/ ſi dixerit Horatiũ Coclitem nandi peritum fuiſſe: cũ potius Tyberis occulto numini, quod & Chlœliæ virgini alioquin nandi imperitiſſimæ adfuit, aſcribẽdum videatur. Nam ſi Pamphilicum mare in ſe diuiſum/ iter terreſtre præbuit Alexandro Magno & militibus ſuis in Perſarum imperium irruentibus:

quod olim mare rubrum præſtiterat Moyſi: vt de vtroq; auctor eſt Ioſephus lib. II. de Antiquitatibus Iudæorum cap. vltimo. Cur putandum nõ eſt hoc idem fieri in Tyberi poſſe: & quod Alexandro cõtigit alioqui Tyráno / quis Horatio Coclite patriæ propugnatori nõ eueniſſe putet? Quis enim numini cuidam occulto Tyberis nõ aſcribat: quod tenui fluens alueo Romulum & Remum ad ripam ſeruarit incolumes? Quod etiam ex reſtagnantibus aquis Tyberis inſula ſit effecta. Sed nuſquam magis mortalium natura contumacior fuit/ q̃ in miraculis credendis. Vtcunq; ſe res habeat, nos ex alio aliam numinis ſignificationem colligimus: videlicet quod Tyberis aquæ/ prę ſertim quæ intra vrbis mœnia continentur/ incorruptæ vbiq; ſeruentur: vt eundem aquæ guſtum in vltimas terras profectis retineant/ quem Romæ habere ſoleant/ ſiue religione quadam vrbis tot martyrum ſanguine conſecratæ aut occulta naturæ vi: ſeu quod Tyberis paludibus & ſtagnis minime inuoluatur illud accidat, haud ſatis compertum eſt: niſi velimus ad aliam rationem referre/ quod aqua Tyberis etiam purgatiſſima continuo arenam vel limum pro matrice retineat occulta & ſubtili naturæ cõmixtione, quo fit, vt diutius & vbiq; incorrupta ſeruetur. Nam probabili experimenro compertum eſt aquas/ quæ arenis non commiſcentur, facile putreſcere: quinimmo quæ ſui natura ob arenarum defectum corrumpuntur: ſi arenis miſceantur/ facile conſeruari. Refert enim Procopius lib. III. de bello Perſico/ quod cum Antonia Belliſarii vxor/ cognoſceret aquas omnes/ quæ iuxta Ætnam decurrunt facile corrumpi, iuſſit vaſa vitrea impleri, eaq; in imo nauis vbi Sol minime penetrabat poni, & arenis inuolui/ aſſeribus hinc inde locum muniens. quo quidem experimento factum eſt: vt aqua incorrupta conſeruaretur: & ſuaue poculum nauigantibus præberet, nam & vinum & oleum fecibus vel amurca diutius conſeruari, eiſdem etiam deficientibus extemplo corrumpi, periculo iam compertum eſt. Quamobrem putandũ eſt veteres aquis Tyberis ſacrum tribuiſſe honorem. Nam ad religionẽ & numen pertinere arbitrabantur: ſi prius quam ſacra inirent, matutinis temporibus ter aqua Tyberis immergerẽtur & expiarentur: vt refert Iuuenalis Satyra. VI. dum inquit.

Ter matutino Tyberi mergetur: & ipſis
Vorticibus timidum caput abluet.

Et Perſius Satyra ſecunda.

Hæc ſancte vt poſcas, Tyberino in flumine mergis
Mane caput bis terque: & noctem flumine purgas.

Vt etiam Apuleius meminit . Huc pertinet illud Horatii libro ſecundo Sermonum.

Frigida ſi puerum quartana reliquerit, illo
Mane die: quo tu indicis ieiunia: nudus
In Tyberi ſtabit. caſus/ medicuſve leuarit
Ægrum, ex præcipiti mater delira necabit
In gelida fixum ripa: febrimq; reducet.

Inter has tamen naturæ dotes ſæuus alioquin & tyranno ſimilis fluuius, qui nantes interdum rapit & diris uorticibus abſorbeat peritiſſimos: cuius inundationes/cũ ſemper fuerint noxiæ, a veteribus etiã prodigii loco ſunt habitæ. Quamuis Plinius diuerſa ſententia Naturalis hiſtoriæ li. iii. dixerit Tyberim ſubitis incrementis religioſum verius quam ſæuum, qui parum eius ſæuitiam expertus fuerit. Nam inter vigintitria Tyberis Epithetа/quæ ex varia lectione Ioannes Rauiſius Textoris congeſſit, Rapidum veteres Tyberim appellabant, ſiue Rumon quaſi inundationibus ripas ruminans & excedens, vt Seruius in. viii. Æneidos auctor eſt: vbi etiam ſubdit quod in Sacris Serra dicebatur. vnde Virgilius ibidem de Tyberi loquens.

Et pinguia culta ſecantem. & Ouidius li. primo Faſtorum.
Radit arenoſi Tybridis vnda latus.

Quod cum veterum exemplis/tum maxime miſerabili noſtrorũ temporũ inundatione/ acerbiſſime experti ſumus, vt ſuo loco dicetur. Sed quando huc deuentum eſt, vt inundationum Tyberis mentio fieret: operæprecium perſcrutandum erit. Num veteres illæ inundationes, quæ a Liuio & antiquis auctoribus memorantur, præſtiterint recentioribus, quæ ab ortu C H R I S T I contigiſſe dicuntur, Res certe ambigua, obſcura, & parte ab vtraq; varia, ac coniecturis plena, quæ cum plures ſint, & inter ſe pugnantes, illæ clariorem nobis huius negotii lucem dabunt: quæ vehementiores ac magis probabiles iudicatæ fuerint.

Coniecturæ igitur, ex quibus perſuaderi poſſunt inundationes veterum fuiſſe maiores: hæ offeruntur. Prima quia conſtat olim campũ illum/ qui inter palatium & Capitolium eſt/non ſatis fuiſſe idoneũ ad habitandum propter inundationes Tyberis. Nam ob eam cauſam locus ille paluſtris erat, & inſalubrem emittebat aërem. vt Fabius Pictor li. i. de Aureo Sæculo auctor eſt. Ex quo igitur ad illum locũ aquæ Tyberis attingebant: facile deprehendi poteſt maiores fuiſſe inundationes illas veteres quàm recentiores: quod etiam manifeſto argumento probatur. Nam aquæ Tyberis tunc etiam vberiores

& copioſiores fuiſſe conſtat & ita copioſiores, vt mirandum ſit, cur accedentibus imbribus etiam montes ipſos non attingerent. Nam legimus Claudium Cæſarem magna impenſa/ plura flumina, fontes & lacus ad Tyberim deriuaſſe: ad quem etiam præter aquas ad miniſteria ſordida deputatas, decem & nouem aquæductus defluebant: vt Sextus Ruffus auctor eſt, quos deinde collabentess Theodoricus Oſtrogottorum Rex, ab iniuria vetuſtatis vindicauit. Ex quibus quatuordecim adhuc tẽpore Syluerii Papæ fluebant, donec eos Barbarorum manus Vitige duce interciderũt: quoꝝ aliquos Adrianus Papa primus magna impenſa reſtituit: vt Damaſus & Platina teſtantur. Quarum quidem aquarum congeries, quæ magna fuerat: ad Tyberim decurrebat: ad quem etiam ſeptem illi rapidiſſimi amnes/ quos Torrentium modo, vt cuncta raperent in ſubterraneas cloacas Marcus Agrippa demitti iuſſerat, deriuabantur, vt Strabo & Caſſiodorus li. iiii. epiſtolarum meminerũt, adeo vt dicat Plinius lib. xxxvi. Vrbem totam fuiſſe penſilem & ſubtus nauigabilem. vt ſi quis diligenter æſtimauerit aquarum abundantiam in publico, Balneis/ piſcinis/ domibus/ euripis/ hortis/ ſuburbanis/ villis/ ſpacioq; aduenientium/ ſtructoſq; arcus/ montes perfoſſos/ conualles æquatas, fatebitur nihil magis fuiſſe mirandum in toto orbe terrarum. In tanta igitur aquarum vbertate putandum eſt Tyberim magis olim fuiſſe tumidum, plenum, & aquarum multitudine profundũ, quam modo ſit: vt facilius ac copioſius inundaret. Accedit Riparũ eius coanguſtatio: nam in tam plena & populoſa vrbe, non putabant expedire, vt tanta aquarum congeries pro libito diuagaretur: vnde Marcus Agrippa eius alueum compreſſit. Et Aurelianus Imperator validiſſimo muro lateritio vtrinq; vſq; ad mare ſtructo, Tyberim intra ripas cohercuit/ cuius operis adhuc extant veſtigia. Quis igitur inficiabitur: ſi tam pleno & tumenti fluuio intra riparum fines coarctato, imbriũ aquæ accederent, non in maximas & mirabiles prorumpere inundationes: hinc merito iã verũ fuiſſe credimus: quod dixit Plinius/ tantum tunc aquæ continuiſſe Tyberim quãtum Nilum. Quamobrem, vt moderarentur eius inundationes: & vis illa ingens aquarum comprimeretur: ſæpe actum in Senatu legimus. Super qua re vt creditur: cauſam Cicero dixit apud Conſules & decem Legatos. Itaq; vetus fuit querela, quę nunq̃ maior ſuborta fuit, quam Tyberii Imperatoris tẽpore. Nam vt primo libro refert Cornelius Tacitus: Eo anno cõtinuis imbribus auctus Tyberis magnam hominum & ædificioꝝ ſtragem edidit, & ita prorupit, quod Romanorum

omnium mentes turbauerat: adeo quod Aſinius Gallus ob eam cau
ſam cenſuerat libros Sybillinos adeundos, ni Tyberius vetuiſſet: cõ
ſtitutis ad hoc negocium duobus viris Atteio Capitone / & Q. Arun
tio qui fluminis impetus coercerent: curarentq́ vt flumina verte/
rentur & lacus per quos augeſcit: auditæque tunc in Senatu fuerunt
Municipiorum & Coloniarum legationes orantibus Florentinis, ne
Clanis ſolito alueo dimotus in amnẽ Arnũ trãſferretur idq́ ipſis per
niciem afferret. Congruentia his Interamnates diſſeruere peſſum
ituros fœcundiſſimos Italiæ campos: Si amnis Nar (id enim para/
batur) in riuos diductus ſuperſtagnauiſſet. Nec Reatini ſilebant
Velinum lacum, qui in Narem effunditur: obſtrui recuſantes,
quippe in adiacentia erupturum: optime rebus mortalium cõſuluiſ
ſe naturam, quæ ſua ora fluminibus, ſuos curſus, vtq́ originẽ/ ita fi/
nes dederit. Spectandas etiam religiones ſociorum qui ſacra, & lu
cos, & aras patriis amnibus dicauerunt: quin ipſum Tyberim nolle
prorſus accolis fluuiis orbatum minore gloria fluere. Seu preces Co
loniarum/ ſeu difficultas operũ/ ſiue ſuperſtitio valuit/ Senatus in ſen
tentiam Piſonis conceſſit: qui nihil mutandum cenſuerat. hæc Taci
tus. Ex cuius verbis apparet ſatis, quantũ negocii dederint Populo
Romano inundationes Tyberis quamuis in montibus maiori ex par
te habitarent: vt hinc facile cõiectari liceat, illorum temporum inun
dationes maiores & altiores fuiſſe his, quæ noſtra ætate contigerunt.
Nã credẽdum eſt Traianũ eam ob cauſam/ magnã illam foſſam iam
prius ab alio ceptam ad mare producere voluiſſe: vt tumentes aquæ
Tyberis exitum haberent: vt de Nilo feciſſe Darium & Ptholemæũ
Reges auctor eſt Diodorus. Et non alio ſtudio Iulium Cæſarem
motum credimus: ad emittẽdum Fucinum lacum, viam muniẽdam
a mari ſupero per Apennini dorſum vſq́ ad Tyberim / niſi vt inũda
tiones eſſent leuiores & facile perferrẽtur. Hæc ſunt argumẽta, quæ
partem iſtam tueri videntur.

Sed ex diuerſo/ quod inũdationes noſtrorum tempoꝝ antiquioribus
præſtẽt: illud argumẽtum facit quod exacta illa Tyberis expurgandi
cura cũ Imperio abiit: neglectis enim miris illis operum ſubſtructio
nibus, Alueus etiã Tyberis cepit negligi: adeo vt ſi verum fateri vo
lumus: noſtra ætate bonam eius aluei partem, via quæ dicitur Iulia,
& ædificia nouiſſime in vtraq́ ripa fabricata occupẽt: & quod reli/
quum eſt coanguſtati aluei ita ruinis põtium & ędificiorum/ ac totius
vrbis excremẽtis oppletum eſt/ ita lapidum fragmẽtis & arenis refer
tum/ vt remorato aquarum curſu mirandum ſit: cur ſæpius nõ inun

det cum ſæpiſſime olim laxiori alueo ac optime purgato inundaret,
Conlachrymabis ſi nunc Tyberim inſpicias: quē propter aluei pur-
gati latitudinem ac facilem & expeditum curſum veteres lubricum
appellabant. Poſiti enim fuerant in hanc rem a Senatu & Auguſto
Curatores: vt nuper effoſſi lapides iuxta pontem Vaticanum oſten-
dunt. Nam vt refert Suetonius Tranquillus. Roma prius fuerat
inundationibus obnoxia, ad quas cohercendas Auguſtus Tyberis
alueum laxauit, & repurgauit completum olim ruderibus & ædifi-
ciorum prolapſionibus. Sed hodie quādo periit illa cura, contrario
nomine lentum Tyberim ſeu tardum vel moroſum appellabimus:
adeo ꝙ facile intumeſcat, vt Aureliani tēpore contigit: vbi propter
Rudera & Ruinas vrbis tumēs & tardus erat/ quā quidem aluei tumē-
tis tarditatem magnanimus princeps effoſſo vado Tyberis ſuſtulit vt
auctor eſt Flauius Vopiſcus: quod & Cyrus Perſarum Rex de Sin-
de fecit. Nam cum aquaꝝ copia eſſet tardus & ea de cauſa inunda-
tionibus noxius plurimis factis ductibus abſcidit. numero eos fu-
iſſe dicit Herodotus centies quater & decies ſex ad eamq; demum exi-
guitatem redactum: vt ſicco peruaderetur pede, & idem de Nilo,
qui ſæpe prius inūdabat/ Oſirim feciſſe legimus: vt refert Diodorus.
Lacum etiam effodit Myris Rex apud Memphim ſupra vrbem ambi
tu ſtadia trecenta & ſexaginta profundum / cubitos. L. quo Nilum
quando acrius inſurgeret: exciperet & eius incrementa cōfunderet.
ſic Claudius apud Fucinum lacum montem perfodit, & aquæ nimi-
etatem obduxit in Fluuium & eodem reſpectu de lacu Velino factum
fuiſſe per Marcū Curionem putandum eſt: Sicut etiā Cæſar foſſas
quam plures facere apud Hylerdam inſtituerat, Quibus partem
aliquam Sicoris fluuii auerteret: ad Euphratem etiā ne tecta vrbis di
riperet: præter moles: quibus cohercerentur: nonnullos etiā lacus.
qui excipiant vim fluminis: addidere. & ob eam cauſam Tarquini-
us priſcus Tyberis alueum direxit. Et deinde Marcus Agrippa
ædilis quia alueus Tyberis adhuc obliquus erat: magis rectum fecit
& alueum mutauit: magniſq; molibus ſaxorum in vtraq; Ripa locatis
ſolidauit. Nam vt ſcribunt Seruius in viii. æneidos & Pomponius,
Tyberis ſub capitolio inferebat ſinum qui pertingebat radices pala
tii vbi erat ficus Ruminalis ad quam eiecti ſunt Romulus & Remus.
ibi poſtea fuit Circus inter Palatium & Capitolium vbi etiā Lupercal
vt tradit Fabius Pictor li. ii. Nimirum igitur ſi eius inundationes tūc
viderētur ea de cauſa pernitioſæ quas Vertūnus factis ſacrificiis auer
tit ſecundū Seruium mutato deinde alueo non ita vrbi incommodus

fuerat/licet aliquando inundaret. noſtra vero ætate/ cum in plano & iuxta Tyberim noua Roma ædificata ſit cura etiam fluminis penitus neglecta/ fit vt coangustato eius alueo & ad ſtrictas & anguſtiſſimas fauces redacto: ruderibus etiã & ruinis pleno/ faciles & magis damnoſas emittat inundationes: vt merito credendum ſit veteribus longe fuiſſe maiores. Conſtat enim ex lapide effoſſo apud domum R. P. D Thomæ de Prato qui nunc merito Datarium agit: alueum antiquũ Tyberis ſe ad illum protendiſſe locum. Expendet igitur amicus lector ex iſtis coniecturis ſibi inuicem aduerſantibus/ quæ nã probabiliores ſint ad ſuadendam alteram partem/ quarum iudicium non temere proferam, cum ſatis fuerit coniecturas oſtendiſſe: quibus rem dubiam reddiderimus. Nam dubitarem ſuſpectus haberi iudex ſi ſtante recentiori ac acerbiſſima inundatione Tyberis: qua grauiſſima damna ſum paſſus: Iudicarem antiquas inundationes fuiſſe maiores quas nunquam viderim: nec percipere niſi cõiecturis poſſum maxime cũ ante oculos obuerſentur præſentia dãna mortaliũ nunc primum poſtrema iſta inundatione illata. Operæprecium igitur erit ſecundo loco eas omnes aquarum alluuiones, quæ per omnes ætates Romæ cõtigerunt, adnumerare, vt ex caſibus aduerſis præteritorũ temporum præſentia incommoda conſolemur, & quaſi ſocia fortunæ vice leuiter feramus.

SECVNDA PARTICVLA TRACTATVS DE INVNDATIONIBVS TYBERIS.

RESTAT nobis in tanta rerum ſerie eas omnes inundationes, quæ a veteribus & recentioribus memorantur, ordine ſuo digerere. Res profecto acerbitatis & laboris plena: ſed quæ plurimum habeat iucunditatis. Nam ita natura comparatũ eſt, vt plus in aduerſis hominum caſibus & ærumnis, quàm in proſperis coꝝ ſucceſſibus perlegendis homines oblectentur: cui quidem oblectationi conſulemus facile/ ſi rem ipſam/ quæ lõgiore apparatu indigere videbatur, perſtringamus breuiter. ſic itaq; fiet, vt cum inſignes duntaxat & notabiles Tyberis alluuiones deſcribemus: exiguas & minus notabiles omittamus, quæ nullum negocium dederunt/ aut admirationem P. R. & eas tantum deſcribemus, quas Tyberis intulit/

Nam neq; maris incrementa plurima vel inundationes omnium fluminum/ a quibus quædam prouinciæ nomen acceperunt: vt Acaiæ perſequimur, q̃uis plurimæ ſint: quæ a prodigioſo Nilo & Pado & Danubio toto orbe terrarum clariſſimis fluminibus illatę memorantur. Sufficiet autem nobis in tanta operum congerie eas tantum alluuiones deligere/ quæ ad inſtitutum noſtrum pertinere arbitramur.

INVNDATIONES TYBERIS ANTE CHRISTI ADVENTVM.

Prima Inundatio.

PRIMA omnium Inundatio/ quam Tyberis protulit: veterum memoria illa fuit/ quæ bellum inter Veientinos & Populũ Romanũ pene diremit/ aut ſaltẽ magnitudine ſua diſtulit. Nã vt refert Liuius li. iiii. ab vrbe condita. Tyberis ſup ripas effuſus agros maxime ruinis villaꝝ vaſtauit, ſimul Equos triennio ante accepta clades prohibuit Volanis ſuæ gẽtis populo præſidiũ ferre &c. Ex cuius verbis facile cõiectari poteſt nõ adeo parui momenti alluuionẽ illã fuiſſe/ quę potuerit maieſtatẽ illã principũ. P. R. a negociis publicis auocare.

Secunda inundatio.

Sed neq; minoris momẽti fuit illa Tyberis inundatio/ quæ ab eodem Liuio ſecũdi belli Punici li. iii. refert. Nam eo anno inquit/ quo Q. Fabius Maximus, & Marcus Marcellus cõſulatum inibãt, aquæ magnæ & niues fuerũt/ quibus factum eſt vt Tyberis agros inundaret cũ magna ſtrage tectorum, pecorumq; & hominum pernicie. Contemplari licet ex verbis Liuii miſerã illorum temporum conditionem quando ardentiſſimis bellorum facibus tota fere Italia conflagrabat. Inſtabat enim tunc ad portas Annibal Barbarus & glorioſus hoſtis nomen extinguere Romanum. Et ne vno tanto malo ciuitas doleret, addidit ſe ſociam Tyberis alluuio plena damnis & triſtiſſimi euentus. Sed vicit tandem virtus & conſtantia Populi Romani poſteros ad ſufferenda fortiter pericula monens.

Tertia Inundatio.

Inferrem hic libens aliam aquarum effuſionem/ de qua idem Liuius meminit li. x. Belli Punici, quæ Circum Flamineum inundauit, Niſi vidiſſem ex eo leuem fuiſſe exiſtimatam/ quod populum Romanũ ad ludum inuitauit. Nam extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris, tũc ludi Apollinares parati fuerant: & quod plæriſq; mœro

rem & luctũ adduxiſſet:illis plauſum & lætitiam attulit. Sed tã ſecũdę fuerant illis temporibus & proſperæ Romanoꝝ res ꝙ triſtia alioquin prodigia / adiuuante fortuna, verterentur in bonum.

Quarta Inundatio.

Nam quædam alia fere ſimilis alluuio aquarum/ temporibus.Q.Metelli Conſulis occurrens prodigii loco habita fuit. Sic enim alternat fortuna vices:vt eandem rem pro temporum conditione mutet. Nã ſi Liuio credimus lib.v. de bello Macedonico:aquæ ĩgẽtes eo anno effecerũt vt Tyberis inundaret omnia plana vrbis,& plurima ædificia circa portam Flumentanã ſecum traheret,putandũ eſt, ſi ex præſentibus futura coniicimus: maximum vrbi detrimentum attuliſſe. Nunquam enim Tyberis effluxit,quod non portenderet aliquod malum memorabile.

Quinta Inundatio.

Sed inter cæteras aquarũ colluuiones:illa nos magis in admirationẽ trahit, quæ tẽporibus.Cn. Domitii cõſulis adeo Tyberis alueum oppleuit:ita tumentem reddidit vt infeſtiore q̃ priore impetu illatus vrbi duos põtes & ædificia multa euerterit/ac ĩ agris pecora abſtulerit/ villaꝝ ſtragem ediderit. & tanta fuit imbrium copia, vt ſaxũ ingens ſiue imbribus ſeu motu terræ leniore, q̃ vt alioquin ſentiretur labefactatũ/in vicum iugarium ex Capitolio prociderit multos opprimens/ quæ inter magna prodigia refert Liuius eodem libro.

Sexta Inundatio.

Et quamuis illa Tyberis inundatio magis infeſta videri poſſet quæ Cn. Manlio conſule eo anno duodecies vrbẽ inũdauit auctore Liuio li. viii. Belli Macedonici, Iſta tamen de qua proxime diximus/cæteris omnibus fuit pręſtãtior/quæ tantã ſecum calamitatẽ tulerit,tantã hominum ſtragem & ædificioꝝ ruinam, vt ſi verbis exprimenda foret/ nulla ſane maior cõfingi poſſet alluuio. Nã quæ vis aquaꝝ tanta eſſe potuit/ vt pontes duos/ qui magnis ſtructi molibus erãt / euerteret: niſi dicamus Subliciũ pontem/qui vnus ex euerſis fuit, ligneum fuiſſe, vt nullo negotio euerti poſſet. ſed hoc falſum eſt, quoniã ſi recẽſemus tẽpora/Sublicius pons,quem primum omnium Ancus Martius ligneũ fecit: vt referũt Liuius & Plinius / eius cõſtructionis rationem reddentes: tempore huius inundationis: iam lapideus erat. Illũ enim lapideũ fecerat Æmilius Læpidus prætor a quo nomen poſtea ſortitus fuit/ vt Põponius Lætus / Fabricius Varranus / Albertinus/Volaterranus/ & recentiores in collectaneis vrbis meminerunt: q̃uis Domitius Calderinus/Mãcinellus/& quidã Neoterici gramma-

tici in hoc hallucinati fuerint ſuper illo verſu Iuuenalis Satyra . vi.
Cum tibi vicinum ſe præbeat Æmilius pons ,
Qui dictus ante fuerat Sublicius :poſtea Tyberis inundationibus lapſus/ a Tyberio Ceſare reſtitutus fuit:deinde Antonius Pius marmoreũ fecit/ vnde pons marmoratus vſq; in hodiernũ diẽ dictus eſt, quẽ iterum euerterat inundatio Tyberis ſub Adriano . i. cuius ruina adhuc cõſpicitur eo ripaꝝ Tyberis loco / ad quẽ naues vndiq; venalia vina important . Apparet igitur nõ leuem fuiſſe illam aquaꝝ copiã, quæ põtem illũ firmiſſimis baſibus & fornicibus ſtructũ euertere potuit, Alter ex duobus collapſis põtibus creditur ille/quem ad portam Triũphalẽ apud ædẽ. S. Spiritus collapſum cernimus/ qui Vaticani pons: vel ſecundũ Ioſephũ li. vii. de captiuitate Iudaica triũphalis dicebatur: per quẽ ſoli nobiles tranſire ſolebant . Quãtæ firmitatis fuerit pons ille: fundamẽta/ quæ adhuc extãt / ſatis demõſtrant, non tamen vſqueadeo firma/ vt vim tantę inũdationis ſuſtinere potuerint. Potuit tamẽ Adriani pons/ qui hodie dicitur. S. Angeli/impetus illos recipere: cum ſit opus omniũ operũ/ quæ homines fecerũt/ validiſſimum. Dubitauit tamẽ Albertus li. x. de re ædificatoria. cap. viii. firmitatem illam diutius poſſe inundationibus Tyberis reſiſtere : Nam ſtipitibus & ramis / quos ex agris alluuiones arripiunt : pilas annuis moleſtiis onerãt, & fauces arcus multa ex parte obturatas reddũt, fit ea re, vt aquę intumeſcãt atq; inde ex alto præcipites & moleſti vortices corruãt & conuergãtur/ & ſic pilarũ puppim ſubruant, molemq; operis perturbẽt. hactenus Albertus . Cuius quidẽ Vaticinii euentũ nouiſſima inundatione Tyberis experti ſumus : nam obturatis prius duobus arcubus ſub ædificio arcis. S. Angeli , ita in eũ hac poſtrema inundatione aquæ cõglomeratæ impetũ fecerũt/ ita ſub arcto tranſitum veluti facto agmine pugnarũt / vt cõuulſa operis parte cum adhęrentibus ædificiis priuatorum totus fere pons cõcuſſus fuerit. Eundem pene impetũ cum pari iactura ſuſtinuit Ianuclenſis / ſiue Aurelius pons, qui nũc dicitur Sixti: nã licet eius arcus cœteris ſint protentiores & ampliores: & ita aquaꝝ multaꝝ capaces/tanta tamen in hac poſtrema/quã ſub Clemẽte . vii. Põt. Max. vidimus: inũdatione, fuit aquaꝝ copia, ac tanta vis , vt niſi prius euulſis pontis radicibus a latere ſiniſtro aquæ ſibi aditum facerent : dubitandum erat, ne pontẽ ſecum traherent : de qua quidem inundatione inferius ſuo loco dicemus . Nam ſatis fuit ab effectu oſtendiſſe inundationem illam magnitudine & aquarum abundantia cœteris omnibus fuiſſe maiorem .

Septima Inundatio.

Magna etiam & inſolens fuit inundatio illa: quæ ſub Auguſto contigiſſe memoratur. Nam vt refert Æneas Siluius Epiſtola. c. iii. vbi Danubii incremētum ſcribit: Tyberis eo tempore ſupra littus Ethruſcum excreſcens monumenta Numæ Pompilii Regis/templaq; Veſtæ contigit, vt ſi verbis Horatii Ode ſecunda fides adhibenda eſt, nulla maior Tyberis inundatio fuerit, ac proinde opinandū eſt Auguſtum animū longe maioribus curis obrutū: ad hoc vnū negotiū direxiſſe. nā vt refert Tranquillus, Vrbē inundationibus obnoxiā excoluit: & ad cohercendas inundationes Tyberis alueum laxauit.

Octaua Inundatio.

Sed neque leuior fuit inundatio, quæ Tyberii Imperatoris tempore contigit. Nam vt refert Tacitus libro primo eo anno continuis imbribus auctus Tyberis magnam hominum & ædificiorum intulit ſtragem, adeo vt toti fere Italiæ negotium dederit: de quo ſuperius lib. primo mentionem fecimus.

INVNDATIONES POST CHRISTI ADVENTVM.

Nona Inundatio.

Inter maiores quoq; Tyberis inundationes, referēda eſt illa, de qua Trāquillus meminit in vita Ottonis/quę vſq; ad vigeſimū ab vrbe lapidē ruina ædificiorū viam præcluſit. Tunc enim papa Linus erat, a quo ſub Pontificum nomine/quæ ſequentur, inundationes perſequemur. Ortus enim iam fuerat Chriſtianæ religionis iubar Chriſtus: a quo veluti a renouato mundo, initium annorum capiemus: vt ſic res ipſa dilucidius percipi ac intelligi poſſit.

Decima Inundatio.

Anacleti Romani Pōtificis tēporibus, Tyberis etiam in immenſum creuit: & multas ædes demolitus eſt: quæ quidē inūdatio multorū malorū ꝓnuncia fuit. Nā & terræmotus multis locis, fames/& peſtilētia ſubſecutæ fuerūt, quibꝰ malis Traianus tūc Imperator exquiſitis vndiq; remediis, pro viribus obuiauit/& ſubuenit. Statuitq; deinde teſte Riualio, ne domorū altitudo ſexaginta pedes excederet ob ruinas faciles & ſumptus/ſi quando talia euenirent, nimios.

Vndecima Inundatio.

Illa tamē quæ tēporibus Adriani Imperatoris tātis fuit comitata malis/nō tam ex aquarum violentia, quam ex prodigiorū vno tempore

contingentium euentu/ Inter memorabiles Inundationes referri po⸗teſt: nam vt Ælius Spartianus meminit in eius vita: fuerunt illis tem⸗poribus cum inundatione Tyberis fames ac peſtilētia: ex quibus plu res ciuitates vaſtatę fuerunt.inciderat enim iſta inūdatio intra c. xix. & c.. xxix. annos ab ortu Chriſti inter Pontificatū Alexandri & Sixti primorum Pontificum Romanorum. Nam viuente adhuc Adriano Cæſare duo iſti pontifices ſuo quiſq; ordine electi obierunt.

Duodecima Inundatio.

Acerbior tamen in eodem genere videri potuit alia aquarum cōgeri es/quam refert Iulius Capitolinus in Antonio Pio/ quæ anterioribus denuntiata prodigiis initium maiorum portentorum fuit. Nā inun⸗dationem illā prçceſſerat fames/ Circi ruina/ terræmotus / & incēdiū quo Romæ trecentæ quadraginta inſulæ vel domus abſumptæ ſunt pręter Narbonēſem ciuitatem & Anthiochēſe oppidū cum Carthagi nęnſi foro, quę vno tempore cōflagrarunt. poſt vero inūdationē Ty beris apparuit Stella crinita & puer biceps: atq; mulier vno partu quinq; pueros enixa. in Arabia vero viſus Serpens iubatus ſolito ma ior, qui ſe a cauda medium deuorauit. Et ordeum illo tempore in cul minibus arborum natum, terrorem incuſſit. Itaq; his talibus tantiſq; prodigiis inundatio vno tempore comitata: locū memoriæ fecit. Se⸗derat illo tempore in ſede Petri Teleſphorus Pōtifex ſub anno ſalu⸗tis Chriſtianæ c.xxxix. quo tempore incidit vt dicit Platina, iſta Ty⸗beris inundatio.

Decimatertia Inundatio.

Nec etiam prætermittenda eſt illa Tyberis effuſio, quæ ab eodem Iu lio Capitolino in. M. Antonio refertur: quæ felicitatem Imperato⸗ris & ſecuritatem eius interpellauit. Nam poſt illam inūdationem quæ grauiſſima fuit ac ædificiis vrbis & animalibus multa damna in⸗tulit: fames, bella grauiſſima, & peſtilentia ſecutæ fuerūt, adeo quod cadauera vehiculis Sarraciſq; fuerint exportata, quibus malis niſi ob uiaſſet pius & magnanimus Princeps, actum eſſet de vrbe, Vt idem auctor non vno tantum loco latius proſequitur. mirādum eſt tamen quod tam varia & remiſſa fuerit illorum temporum hiſtoria. Nā neq; Damaſus / neq; Platina qui diligentius hiſtoriā Summorum Pōtificū contexuerunt: de hac iſta inūdatione / nec prodigiorum vno tempore contingentium multitudine meminerūt. Vtcūq; ſit, accidit iſta allu uio intra annos c.lx. & c l xviii. Salutis Chriſtianæ.

Decimaquarta Inundatio

Sed quis cladem illam tam multis auctoribus celebratā: quam Ty⸗

beris inundatio intulit Pelagii tempore: ſiccis poterit oculis pertran-
ſire. Refert enim Paulus Diaconus li. xviii. per ea tempora multis
locis graues inũdationes fuiſſe adeo / vt Noe diluuium renouatũ cre-
deretur. Nam in finibus Venetiarum & Liguriæ ſeu cæteris regioni-
bus Italię factę ſunt lacunę poſſeſſiones cum magno interitu hominũ
& animantiũ/deſtructa itinera/diſſipatę viæ/tãtumq; tunc Atheſis flu
uius excreuit vt circa Baſilicam. S. Zenonis Martyris: quę extra Ve
ronẽſis vrbis muros ſita eſt vſq; ad ſuperiores feneſtras aquæ pertin-
gerent: licet ſicut Beatus Gregorius poſtea papa li. iii: dialogorum
ſcripſit: in eandem Baſilicam aqua minime introiuerit. Vrbis quoq;
eiuſdem Veronẽſis muri magna ex parte eadem ſunt inundatione
ſubrupti. Portẽdiſſe ferunt innũdationem illam vrbis Veronenſis la
chrimabile incendium: quod poſtea ſubſecutum fuit. Subdit idẽ au-
ctor: In hac diluuii effuſione in tãtum apud vrbem Romã fluuius Ty
beris excreuit: vt aquę eius ſuper muros vrbis influerẽt: & maximas
regiones occuparẽt. Tunc per alueũ eiuſdem fluminis cum multa
Serpentum multitudine Draco etiam magnę: mireq; magnitudinis
per Vrbem trãſiens vſq; ad mare deſcẽdit/qui a fluctibus maris ſuffo/
cati: & ad littus repulſi fœtore circũiacẽtes regiones infecerũt vt etiã
latius refert Archiepiſcopus Florẽtinus in vita Gregorii: Ex qua qui
dem Serpentum & draconis corruptione/ aquarum / limiq; per cõcaua
vrbis dimiſſi exhalatione grauiſſima peſtilentia ſubſecuta eſt: adeo vt
ſternutatione homines interirẽt/ quæ adeo populũ afflixit: vt de tãta
& tam inextimabili multitudine vix decimus quiſq; ſuperfuerit. Pri-
mumq; omniũ Pelagium Põtificem Max. & alioquin virũ maxime ve
nerabilem perculit & ſine mora extinxit: adeo q nisi in tam acerba &
triſti perſecutione/ Gregorius tunc Papa omnium conſenſu electus
precibus & cilicio ſeptiformiq; letania occurriſſet: vix vnus vel alter
ſupereſſet. Nam eo ipſo die quo Supplicationes agerentur: vnius ho
ræ ſpatio octingenti ex eis ſubito vitam exhalarũt. Longũ eſſet inau-
dita illorum temporum prodigia recẽſere/quę a prefatis auctoribus
latius circa hoc negotium diuagãtibus ſcribuntur. Incidit tamẽ inun
datio iſta, vt ſcribit Palmerius in additamentis Euſebii in annum Sa-
lutis Chriſtianæ D. lxxxvi. vel ſecundum alios ccccc. lxxvi.
vt quidem ſupputant in eo li. qui inſcribitur Faſciculus temporũ/cui
quidem ſi ex integro danda ſit fides vix tot horrẽda & admirãda pro-
digia ab initio mundi vna ætate ſicut hic/vno tempore contigerunt.

Decimaquinta Inundatio.

Sub Gregorio. ii. Pontifice Maximo anno. Dcc. xvii. a partu

virginis Theodoſio adhuc imperante ſecũdum computationem Pal
merii Florentini Tyberis inſolenti auctu a porta flaminea in vrbem
irruens per ſeptem dies auctore Platina/ maximum vrbi detrimen/
tum & Ciuibus damnũ intulit. Nam euerſis domibus ac arboribus
ſatiſq; erutis/aquę per vrbem dẽſo agmine decurrẽtes omnia conca/
ua vrbis impleuere & adeo incrementum fecerũt, vt in lata via homi/
nis magnitudinem exceſſerint:& ita exceſſerũt:ꝙ a ponte Miluio vſq;
ad gradus .S. Petri lintribus ſit nauigatũ. Res dura & improuidis lõ
ge calamitoſa/ quæ ex eo acerbior iudicari poteſt quia hæc inũdatio a
cœlo veluti adiuta manifeſto ꝓdigio fuerat prænũciata. Viſus enim
ante fuerat in cœlo Cometes caudam ſuam ad Septẽtrionem dirigẽs
atq; ſub ipſa inũdatione Luna Ecclypſim paſſa vſq; ad mediã noctẽ
colorẽ ſanguineũ prę ſe tulit:vt merito credendum ſit / ſi Damaſum
ſequimur/ inundationem iſtam muros vrbis trãſcendiſſe:.Quamob
rem Gregorius tam horrẽdas Chriſtianoꝝ calamitates miſeratus:vt
iram Dei mitigaret: Supplicationes tota Vrbe fecit.

Decimaſexta Inundatio.

Incidit in vigeſimum Adriani primi Põtificis Maximi annũ alia Ty/
beris inundatio inſolens. Nam fluuialis aqua in Torrẽtis ſpeciẽ per
flamineam portam/ quæ nũc dicitur Populi irruens/portam ipſam a
fundamẽtis euertit, vt auctor eſt Damaſus & Platina:deinde late lon/
geque ſpaciata põtem Sublicium/ quem alia inundatione collapſum
diximus: & M. Antonius pius Marmoreum reddiderat / iterũ euer
tit cum magna hominum & rerum ſtrage.multa pręterea ędificia vr/
bis, & Armẽta, Arbores, & Segetes in pręceps acta muros & turres vr
bis pro magna parte vaſtauit:totaq; fere vrbs: quę cimbis fluuialibus
adiuta fuit, egeſtatem cõtraxit: quibus pontificis iuſſu cibaria ſubmi/
niſtrata fuerunt pauperibus nequeũtibus in apertum exire:omnique
alioquin miniſterio carẽtibus. Obfuit Cataclyſmus ille non tantum
in pręſens ſed cauſa etiã fuit/vt anno ſequẽti ſit Romæ frumenti ino/
pia laboratum. Conſolatus eſt Ciuitatem eiuſmodi clade affectam
Adrianus pontifex multa multis donans vt calamitas illa minus ſen/
tiretur: mœnia & turres vrbis aquarum vi dirutas reficiens. Quid
plura?nihil in tanta rerum egeſtate Adrianus prętermiſit: quod ad
optimum Principem pertineret.

Decimaſeptima Inundatio.

Tyberis quoq; prodigioſe totam Vrbem inundaſſe fertur ſub Nico/
lao primo Põtifice. Nam totã illam planiciem quæ a via lata ad radi
ces Tarpeię Rupis: a via quoq; Argẽtaria ad Auẽtinũ ducit, ita occu

pauerat vt inſtare diluuium crederetur: qua Inundatione aliqua loca
illuſtria aquarum impetu diſiecta fuere: vt quidam retulerũt: multæ
etiam domus euerſæ/arbores & ſata paſſim in præceps acta. neq; hoc
ſemel vt ait Platina/illo anno contigit: ſed & Decẽbri menſe iterum
Roma eſt inundationem paſſa. hæc damna emẽdare: vel delinire Pon
tifex enixus nullum genus officii & pietatis omiſit. Neq; enim exhau
ſtus Põtifex maxima itineris impẽſa ac moleſtia: & præcedẽtium pro/
digiorum terrore ac nouitate/quæ deſtinauerat, exequi poterat. Nã
inundationem illam duo præceſſerant ſecũdum Palmerium/horren
da prodigia. triduo enim ſanguine pluiſſe in Brixiẽſi fertur: & in Gal
lia vis ingẽs Locuſtarum orta ſenos pedes habentium fœde omnia
popularunt donec ventorum impulſu in Britanicum mare propulſæ
fluctibus obrutæ perierũt. quas deinde Oceani æſtus ad littora pellẽs
fœtore aerẽ infecerũt: corruptoq; terraꝝ tractu peſtilentia ſecuta eſt:
& fames ingens: adeo vt tertia fere hominium pars cõſumpta fuerit.
Inciderunt hæc damna circa annum Domini. D c c c l x. i i.
quamuis Matthæus Palmerius ad Euſebiũ iſta in Adriani ſecũdi tem
pora conferat.

Decimaoctaua Inundatio.

Grauis etiam & ſatis acerba fuit vis illa aquarum: quam Tyberis in
vrbem intulit Gregorii Noni tẽpore: vt referũt Damaſus/Platina &
Sabellicus: qui ſupra modum excreſcẽs multa damna mortalibus in/
tulit. & mox tam fœda ac dira peſtilẽtia ſecuta fuit: vt decimus quiſq;
vix ſuperfuerit. Linquebant enim dulces animas ſpiritus vitales ta/
be: ſanieq; cõfecti: quibus malis ſe comitem addidit prodigium So/
lis: cuius defectio tanta fuit quanta nũquam antea memoretur. Secu
tæ deinde ſunt inter Põtificem & Romanos difficiles ac hoſtiles cõten
tiones, quæ ſæculum illud triſte & acerbiſſima tẽpora reddiderunt:
vt latius proſequuntur Hiſtorici.

Decimanona Inundatio.

Inter ꝓdigioſas quoq; Tyberis inundationes memoratur illa: quæ no
tato ſecũdum Platinam per excreſcẽtiam Tyberis vaticinio: mortem
Nicolai tertii Põtificis Maximi prædixiſſe fertur. Nam: adeo per id
tempus/Tyberis inſolẽter excreuit: ita tumens fuit: vt ad Pantheon
nunc Deiparæ virginis eſt id templum, Aram maximam quaternis
& eo amplius ſupergreſſa pedibus ſit fluminis alluuio, fuitq; hic an/
nus Salutis duodecies centeſimus atq; octogeſimus. Secuta deinde
Nicolai mors locum prodigio fecit. Nam/cum is alioquin cibi & po/
tus continentiſſimus & voluptatis expers ſubita morte periiſſet, cre/

Virum eſt vaſtam & exitialem illam Tyberis aquarum protruptionẽ id portendiſſe.

Vigeſima Inundatio.

Annus agebatur Salutis Chriſtianæ, M cccc x x i, cum Martinus. v. Pont. Max. oculos direxit ad aſpectum miſerabilis Vrbis: quæ diu/turnis Schiſmatum ſeditionibus & tyrãnorum furore, fame, ferro, ac peſtilentia fuerat deuaſtata. omnia enim ſquallebant ſitu: ædificia ſa cra fœde diſiecta: inſigniſq; vaſtitas: cœnoſa & ſquallida viarum fa/cies, ac agreſtis & barbara quædam feritas ciuitatem inuaſerat. Re/ceptus itaq; cum ingẽti omnium plauſu/ſedulo dedit operã, vt breui omnia in melius mutarẽtur. Iam læta erãt omnia/ & ad priſtinũ can/dorem redacta, cũ Tyberis circa feſtũ. S. Andreæ a porta Flaminia in vrbem irruẽs totam vrbis faciem inundauit: & grauiſſima damna ciuibus intulit: vetereſq; plagas renouauit. Remiſit tamẽ vis illa aqua rum biduũ poſtq̃ fuerat inuecta/ multaq; ſunt animalia illa alluuione in præceps acta, cuius quidem inũdationis altitudo cõſpicitur hodie apud templum Mineruæ lapide in hanc memoriam ſignato.

Vigeſimaprima Inundatio.

Sederat iam per plures annos in põtificatu diſcordiis ciuilibus actus Sixtus quartus Pont. Max. cum Tyberis mẽſe Nouembri ſupra ri/pas effuſus / multa accolis damna intulit. Plura ſunt etiam animalia inundatione iſta aquis obruta: quorum putrefactione grauis peſti/lentia ſecuta fuit. Tot deinde horrenda & admiranda prodigia il/lis temporibus contigerunt: ſecundum Vincentiũ & recentiores au ctores, vt vix credi poſſent. Venti etiã adeo ingẽtes, vt multa ædifi/cia ſubuerterent: quæ omnia mortem Pontificis portenderunt.

Vigeſimaſecunda Inundatio.

Fuit hic alter annus ab Alexandri Sexti creatione, quãdo Alpina flu mina veluti facta cõiuratione prodigioſo auctu omnem fere terram quæ intra Padum iacet & alpes, per partes inundarunt cum multa hominum ſtrage, & pecorum pernicie. Eruperat enim primo vis il/la aquarum in Bergomati agro: & veluti ſignum dans, totam illam Veronenſium circumiacentem regionem / Atheſi inundante, pari clade affecit. Neq; vero hic finis malorum fuit/ ſed Patauinum inde agrum & omnẽ Carnorum oram eadẽ Cataclyſmi vis inuaſit. Nec multo poſt, Tyberis ſupra modum auctus, omnia plana vrbis ad ra dices montiũ inundauit: adeo vt in eccleſia ſancti Iacobi Hiſpano/rum, aqua hominis magnitudinem exceſſerit, vt marmoreo lapide ſcriptum legimus. Ex qua inundatione Roma grauiſſima damna eſt

paſſa, & plura etiam ædificia aquarum violentia corruerunt. Sed in plena & opulentiſſima vrbe / nequicquam talis alluuio quam/uis maxima, mentes ciuium turbauerat. Auro enim vndique af/fluebat Roma, neque iam poterat tunc magnitudinem ſuam ſu/ſtinere. In tanto igitur diuitiarum exceſſu, in tam ampla rerum om/nium abundantia, conueniens alioqui & opportuna fuit alluuio, ſi/cuti infirmo ſanguine multo ac adipe repleto phlobotomia. Solent enim plerunq; proſperæ ac nimium ſecundæ res longe hominem a ſe auocare: & cum ſeipſum non intelligat: rerum omnium Seruato/rem negligat, atq; contemnat. Bona igitur fuit alluuio, quæ ad ſe hominem redire coegit, ac veluti ſtimulo aduerſitatis tactum, quæ vera & iuſta ſunt agnoſcere. Habuerũt tamen inundationes iſtæ hoc plus admirationis, quod parum euidenti cauſa ſubita illa inundatio cõtigerit / quũ ne pluuio quidem cœlo vt quidam aiebant, flumina creuiſſent: & quod dierum interuallo non vno ſit die ea clades eua/gata. Scio enim non defuiſſe: qui fingerent molem iſtam aqua/rum ex imbribus alpium proueniſſe, decuſſaque vi ventorum ar/borum folia cauſam præſtitiſſe, vt torrentes multi vno impe/tu in ſubiecta flumina præcipitati, inſuetum fecerint incrementum. Sed ſiue hæc fuit cauſa, ſiue alia magis occulta, inſueta rei facies in prodigium verſa eſt. Multi ad tumultuoſum in Italiam Gallorũ deſcenſum, prodigium illud aquarum retulerunt, quo tempore & Alphonſus iunior Neapolitano regno excidit: & Ferdinandus pater medio belli apparatu fato obiit. Alii ad aliam cauſam referebant. Nec deſunt, qui inundationẽ iſtam Tyberis in Vltimos Alexandri annos conferant. Verum hoc parum negotii dabit, ſi tempora nu merentur, quæ pluribus locis Romæ deſcripta leguntur. Nam in lapide Tyburtino eccleſiæ Sancti Iacobi ſub anno a partu Virginis M c c c c v c. Nonis decembris ſcribitur inundatio, quæ rela/ta ad tempora Alexandri, incidit in ſecundum eius Pontificatus an/num plus minus.

Vigeſimatertia inundatio.

Eram ego maiori otio ſcripturus cladem iſtam miſerabilem tam mul tis calamitatibus ſociatã, quã Tyberis inundatio intulit anno ſalutis. M. D. X X X. Sed creſcentibus indies curis/ & inter officia publica quotidianis a/ctionibus, quæ me vinctum penitus & occupatum tenent: futurum erat: vt ſi hoc negocium in aliud tempus reiicerem: minus fortaſſis haberem otii. Dum igitur recens tanti mali eſt memoria, dum

animus adhuc in luctu eſt præſentis calamitatis, operæprecium duxi, rem ipſam quam abſolutiſſime perſtringere.
Illuxerat nobis Saturni dies infanda, quæ octaua menſis numeratur Octobris: in qua Tyberis ſolito alueo dimotus, aquarum montes traduxit in Vrbem cum ingenti omnium admiratione & damno. videbantur enim vno illo die elementa omnia coniuraſſe. Fatigabat dulces animas pauor ingens, ex ruentium ædificiorum crepitu. Percutiebat inſuper miſerorum pectora præteritorum malorum recordatio: quorum adhuc recentes fuerant cicatrices. Iam alii ad vindictam ſcelerum immiſiſſe Deum inundationem iſtam aſſerebant: Indiciis quibuſdam aſſertiones ſuas comprobantes: quod videlicet ſereno cœlo, nec præcedentibus magnis imbribus irruperit tam ingens vis aquarum, quaſi quod fontes abyſſi diſſolui viderentur. Addebant Eccly pſin Solis & Lunæ: quæ eodem gradu, eodem etiam inundationis die contigerat. Alii vero iſtam naturali rerum curſui tribuebant. Simul etiam memorabant inundationem illam, quæ Benedicti. xii. tempore toto orbe naturaliter contigit, vt nouiſſimi quidam retulerunt, quando nullis præcedentibus imbribus, terra ſponte ſua ruptis interioribus venis, ad modū diluuii ſcaturientium aquarum edidit torrentes: quibus prope infinita damna mortalibus illata leguntur. Et iam Lunæ Ecclypſin in alios retorquentes ad eundem naturæ curſum referebant Aſtronomorum teſtimonio innixi, qui vi quadam & potentia Lunæ omnium rerum humorem dicunt commoueri. Sic igitur in varias ire ſententias cogebat pauor, & quæ non poterant damna prouidendo tollere, altercando ſolabantur. Iam aquæ in immenſum creuerant, nec altercationibus locus erat, cum ante oculos obuerſarentur ruinæ vicinorum tectorum, & quod acerbius fuerat: timentibus & cernentibus illas omnes fugiendi aditus præcluſi erant. Sola inedia in conſolationem vitæ relicta. Vſqueadeo improuida & miſera mortalium corda inuaſerat timor, vt homines amētes viderentur / & elingues, & quo minus loquebantur tanto magis ſuſpectum & horribile videbatur ſilentium. Putabant enim non loquentes inedia aut aquis interemptos. Nec eorum, qui loqui poterant, audiebantur niſi gemitus & lamentationes. In ſumma / omnia erant plena luctus & triſtiſſimi aſpectus. Inceperat inūdationis huius dare ſignū Tyberis ante meridiē / & creſcentibus magis aquis carptim omnes vrbis concauitates & ſubterranea loca implebant, nec prius ſuper terram videbantur, q̄ ſibi prius aditū per ſubterraneos meatus facerēt. multorum etenim inferio

cres ſeu ſubterraneæ cellæ impletæ aquis fuerāt, ad quaꝝ ædium ſu-
perficiem aquæ minime peruenerūt. Poſtq̄ vero omnia vrbis cōcaua
quaſi per inſidias & clanculū repleta aquis fuerāt, maiori impetu cœ-
pit Tyberis per vias & regiones vrbis pro libito diuagari, & aquarū
torrētes immittere, quaſi quod vrbē a ſedibus imis, aquis obruere
deſtinaſſet. Et primū impetum fecerūt in pontem Adriani, qui nunc
dicitur. S. Angeli, vbi pater Tyberinus duos illos pontis arcus aluei
antiqui/ qui ſibi ſub ædificio arcis precluſi fuerāt, reperere volēs col-
lectis vndiq; aquis/ arcem circūdat: & factis cuniculis euertere tētat.
Sed cum nihil profeciſſet, magno veluti furore percitus, flumina om-
nia/ fontes/ & amnes in auxilium vocat. Iam nox erat quādo ad obſi-
dionem pōtis & arcis quinquaginta fere flumina, quibus Tyberis pa-
ter præerat ſe illi addiderāt, p̄ter torrētes plures & rapidiſſimos am-
nes/ qui certatim ſocia aquaꝝ agmina iungebāt. Tūc Tyberinus
inſtructis vorticibus, & aquaꝝ turbinibus, Adriani pōtem iterū ma-
gno murmure adoritur, tāto aquaꝝ cumulo/ tāta vi/ tanta deniq; tur-
binum cōgerie/ vt Oceanū ſæuiētem putares. Cingit itaq; pontem
ab omni latere, atq; aquis tegit, ac ſubuerſis eius ſubgrundiis & pa-
rietibus/ totam illam ædificiorum partem, quæ ad radices pontis
Nummularios reſpicit, magnis & profundis voraginibus diſſipa-
uit. Ab alia vero parte Pontem Tranſtyberinum, qui ab arce San-
cti Angeli ad Palatium viam præſtat, a fundamentis ſuſtulit, id fu-
turum ratus, vt pontem Adriani præſidiis, quibus hinc inde ſubni-
xus erat, ſublatis/ paruo negotio euerteret. Sed cum incaſſum
diu aquæ certarent, neque machina illa altis fundata molibus, ac
firmiſſimis conſtructa baſibus expugnari poſſet, Tyberis veluti ru-
bore ſuffuſus, collectis denique aquis, maiori impetu viam, quam
dicunt Iuliā, aggreditur. Hic locus olim alueus eius erat, cuius lati-
tudo ad turrim, quam hodie appellant Sabellicam, protendebatur,
vt nunc ibi inuenti lapides monſtrant, a quo fuerat vulgi ſeu ple-
beiorum manu paulatim eiectus, & ad anguſtiſſimas riparū fauces
redactus, quem quidem aluci amiſſi locum, licet olim inundatio-
nibus pluribus recuperare tentaret, nuſquam tamen compos fieri
poterat, adeo difficile videbatur prouidos & munitos detentores
propellere. Simulato igitur & dilato in plures annos negocio,
cum iam omnia tuta & ſecura eſſent, ac longa obliuione ſopita,
deſtinat occupati aluei iniuriam vlciſci, & præter flumina & tor-
rentes; quos prius in ſui auxilium traxerat: Solem etiam & Lu-
nam conſcia numina Diuum inuocat: qui Ecclypſi præſentes ma-

rumnum aquarum incrementum intulerunt. Sic itaque tot & tantis præſidiis adiutus Tyberis viam Iuliã aggreditur: fures modo hic, modo illic: a fundamentis ædificia omnia cõcutiens, ſpumoſoq; aquarum cumulo oppoſitas trahebat gurgite moles. Iam domus prælta & decora Iuliani Cecii magno fragore lapſa a ſedibus imis ruinã dederat. Ab alio vero Ripa latere ingentia illa Regũ cœnacula Auguſtini Chiſii prealtis/& magnis inſtructa molibus/ornata colũnis/auro picturatiſq; lapillis illuſtria cũ bona viridarii parte vorticibus cõuulſa tegebantur vndis. Sed inter plures alias tectorũ ruinas, quas ne ſim prolixior, omittam, nõ erit ſilentio inuoluenda clades ſtudioſi & honeſti viri Euſebii/ quæ veluti aliorum ruina denũciata, ac vicinarũ ædium prolapſionibus præmonita, non potuit euitari. Huius enim viri domum Tyberis furore acceſſus: tanto aquarum impetu cõcuſſit: & ita ſuffodit: ac vorticibus furentibus reuulſam in abyſſum traxit: ac hominem cum ſupellectile & familia tota voraginibus abſorbuit, vt vix operis veſtigia appareant: mirum dictu ꝙ tantus fuerit hic aquarũ impetus, tantus furor: vt tot ædificia euerteret: adeo ꝙ via Iulia inter famoſas & cõſpicuas vrbis vias quõdã habita: nunc concuſſione Tyberis dehiſcens: ita ſit effecta infamis: ita ædificiorũ ruinis deformata: vt a propriis eius inquilinis deſtituta/ ſit iam deſerta. Sic enim variat fortuna vices. Nam quis merito nõ contremiſcat? quis non horreat: cum viderit illius viæ tam magna ædificiorum: ac ſirma fundamenta: ab vtraq; parte locata occultis & ſubterraneis aquarũ cuniculis perfoſſa: corroſa: atq; cõuulſa: & adeo concuſſa: vt nulla ibi ſit domus: quæ nõ fuerit lapſa: aut ſignum ruinæ dederit. O miſera mortalium cõditio/O inanes cogitatus noſtri/ꝗ̃ fluxa/& varia eſt rerũ humanarum ſpes: ꝗ̃ mutabilis & caduca illarum cõfidentia: quam varii & acerbi illarum caſus. Fuerat Roma matutino illo die ſatis ſecura: & rebus paulatim proſpere ſuccedẽtibus/hilaris & læta: Cũ ecce breui temporis ſpatio verſa ſunt omnia in luctũ & mutata in ſpeciẽ pallidæ mortis. Nam/vt ſenes ipſos: pueros: trepidaſq; puellas omittam, Pallebant adeo ora robuſtiorum Iuuenum vt propriã eorum faciem non præ ſe ferrent. Detinebantur enim improuidi: domibus carcerati: torquebantur timore & fame: & quod acerbius videbatur: omnes fugiendi aditus aquis præcluſi fuerant. Quæ vnquam Barbarorũ hoſtium obſidio: quæ captiuitas: quæ deniq; direptio huic poterit cõparari? huius enim comparatione/ illorum captiuitas: ſumma erat libertas. Fruebantur enim captiui libero & ſereno cœlo: iſti vero vſu omnium elementorum priuati: inter ipſa elementa clauſi tectis: inglo

rii morte Tantalea peribant. Deerat enim vinum: quod atrox Ty/
beris vndis perfuderat: neque aderant alimenta ignis: vt ſaltem mi/
ſera & afflicta corporra: ipſo marmore frigidiora paululum reficerēt.
Sed quid de aquis dicam? que tabe: ſanieq; cōfectæ poculū ſine mor/
te dare non poterant. Neq; rurſus illis copia farris erat: cum adhuc
prioribus calamitatibus exhauſti: in diem viuerent. In ſumma nūquā
magis carmina illa diuini Maronis afflictæ Troiæ, quam tūc Vrbi lu/
ctuoſiſſimæ conuenerunt.
Quis cladem illius noctis, Quis funera fando
Explicet? aut poſſit lachrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit, &c.
Sed magis hominum mentes turbabat dulciſſimoꝝ coniugum & na/
torum ſeparatio: quæ pluribus caſu quodā euenit. Fuerant enim
multi/vt fit/extra domum profecti: qui repentinis aquarū incremen
tis ſepti: eo vnde digreſſi fuerant: redire nō poterant: neq; alter ab al
tero per internūtium intelligere an viuerent: & quod in alio quis fa/
cile ſuſpicabatur: in ſeipſo timebat. Augebat etiā mœrorem terræ/
motus a multis denūciatus: qui etiam parū ante inundationem a nō/
nullis præſenſus fuerat. Simul etiā turbabat mētes quod nonnulli
aſſerebant: mare nolle illam aquarum colluuionē recipere: ſed arena/
rum aggeribus & ventis obſtare. Sicq; inter inediam & metum vita
tranſigebatur: donec biduo poſt/Tyberis ſeipſum colligēs reſpirādi
ſpem dederat. Nec minus negotii dedit vrbi aquarum receſſus ſeu
decrementum: quam laboris & damni earum augumētum. Relique/
rat enim nobis habitationes vrbis infirmas: ruinā fere minantes: ac
ſquallore multo horridas: cœno limoq; refertas: ad quas repurgādas
ac peſſulis & cōtignationibus retinendas reliquum paupertatis impē
debatur. Secutæ deinde ſunt poſt inundationem Annonæ caritas &
quædā peſtilentiæ ſigna: ac ingens futuri mali timor ac ſuſpicio. Qui
dam ad regnorum vel prouinciarum mutationes detorquētes dice/
bant influxum illum: quem Aſtronomi in annum, M.D.xxiiii. cal/
culauerant: in iſtum deriuatum fuiſſe cū ſub Ecclypſi Lunæ nec præ/
cedentibus multis imbribus & ſereno cœlo cōtigerit inundatio: hac
ratione probantes: quod multis locis flumina & lacus auctū fecerint.
Padus enim per idem tempus agros inundans plura dāna intulit. Et
Timauus etiam fines ſuos egreſſus ſignū dedit: Et Oceanus inſolitas
& horribiles elationes fecit: quæ ad Holādiam ſequenti mēſe conti/
gerunt: quibus Ciuitates plures cū incolis fluctibus actæ: & hominū
boumq; labores infeliciſſime deperditi memorantur. Quibus malis

CLEMENS SEPTIMVS Pontifex vere maximus condolens / exquiſitis vndiq; remediis ob/uiare conatus eſt: Sed cum per iniquam præteritorũ temporum con/ditionem/ & acerbam Tyberis ruinam exhauſta omnia atq; diſſipata fuiſſent: Non potuit pius & Clementiſſimus princeps ea/ quæ animo deſtinauerat: exintegro adimplere cõſtitutis in hoc negotiũ viris/ qui curarent ne quid detrimenti ciuitas pateretur multis: multa ſecreto donans.

PARTICVLA TERTIA DE INVNDATIONVM EVENTV.

Ardua quippe res eſt: & viribus meis impar inundationum ſucceſſus: & prodigioſos earum euentus: breuibus quibuſ/dam doctrinæ indiciis præſcribere. Nam ſi effectus po/tius: & nõ magis rerum cauſas attingimus: labor ſuperua/cuus erit plus oneris q̃ laudis habens. Sin vero initia rerũ: & quid il/la neceſſario præ ſe ferant: diſſeramus: erit cognitu digna lectio: & intellectu iucũda paululum tamen magis periculoſa: cum ea ſit res, quæ vltra immẽſam librorum ſeriem: naturalium etiã rerum exigat peritiam: quæ in me exigua eſt: & ad ſimilitudinẽ ingenii mei puſilla. Iuuabit tamen vtcũq; ſit: meipſum cõſuluiſſe: & poſteris initia quædã rudis vetuſtatis reliquiſſe. Sed ne in immẽſum creſcat oratio: rem ipſam aggredior.

Magna ſane: & inuoluta fuit aqud antiquos & recentiores dubitatio de euentu alluuionum: & quid eædem aquarum effuſiones portẽde/rent. Nã ex eo difficultas ingeritur: q; nemo eorũ: quẽ viderim: inun dationum cauſas reddidit: licet plures earũ effectus hiſtorici enarra/rint. Operæprecium igitur erit illud ex integro perſcrutari: vt ea quæ hactenus tractata nõ fuerunt: breui cõpendio dignoſcãtur. In/ter cœtera igitur damna: quæ nobis inũdationes pariunt, Tria preſer tim mala portendunt: quorum duo nobis ex accidenti eueniũt. Ter/tium neceſſario quodã influxu & aquarum inũdantium propria natu ra contingit.

Deformatio: Strageſq; rerum ex Inundationibus.

Primũ igitur dãnum eſt tectorũ ruina: hominũ & iumentorum interi/tus: atq; arborum diſiectio. Hoc nobis aquæ ex accidẽti: & nõ ex pro/pria earũ natura afferunt: quoniam proprio hominum cõſilio & pro uidentia malum hoc euitari poteſt. Euitabitur autẽ hoc modo, ſi aii

te omnia vim & naturam fluminum explorauerimus:qua cognita/ lu/
uabit corũdem fluminum impetus foſſis deriuare:euerſionibus mi/
nuere:aggerib⁹:ſtipitibus:molibus:ſiue cõtignationibus cohercere.
Nam Traianus plures in id negotium foſſas variis in locis fodi iuſſit
vt Plinius Iunior nõ vno tantum loco Epiſtolarum li.x. meminit. Sic
etiam Cæſar eodem ſtudio ductus foſſas quamplures apud Hilerdã
inſtituerat: quibus partem aliquã Sicoris fluuii auerteret:& Semira
mis/ vt elatis Euphratis alluuionibus modum poneret, nõ contenta
lateritio Aſphaltum etiam ſuperinduxit aggeri craſſum cubitos qua
tuor. Cyrus etiam Perſarum Rex Gyndem pluribus factis ductibus
ita abſcidit: ita ad exiguitatem redegit:vt quaſi ſicco peruaderetur
pede:teſte Herodoto. Apud Tumulũ Haliactis in Sardis lacus eſt fa/
ctus manu ad excipiẽdas alluuiones. Lacũ etiam effodit Myris apud
Memphin teſte Herodoto:quo Nilum exciperet acrius ſæuientem. Idẽ
ad Euphratem factum fuiſſe legimus: Nam Nitocris apud Meſopota
mios: Euphratem curſu nimio concitatũ retardauit curuis & tortuo/
ſis ductibus: vt idem auctor ſcribit. Ex Nilo etiã Ptolemæus cũ naui/
garet: foſſam aperiebat:vt vis fluminis coherceretur:enauigata clau
debat teſte Diodoro. Accedent ad iſta cura aluei & purgatio Rude/
rum & prolapſionum:vt exitum aquarum præbeat facilem. Nã ſi
ea negligantur:facile fit:vt ſic cumulatis truncorum ramis & accreſ/
centibus indies arenis & lapidibus: Alueus ſeſe attollat & petulãtibus
vorticibus ac ruentiũ vndarum vl ædificia euertat: & cõuergatur &
quãdoq; dimiſſo priori & antiquiori aluco:vt Meãder & Euphrates ſæ
pe fecerũt:alio deflectat. Neq; hic exigimus magnificam illam & ſum
ptuoſam veterũ Romanorum ſubſtructionẽ de qua quædam li. i. dixi
mus, Sed ſufficiet ad impetum aquarum propulſandum aggerem ex
faſcibus Sarmentorũ vel ceſpitibus herboſis ex prato ſuccilis:aut rui/
narum excremẽtis ſeu etiam truncorũ & lapidum tranſuerſariis mo/
libus: vel vt Nitocris apud Aſſyrios fecit ex cõcreto limo:quali apud
Gallias maxima flumina quaſi pẽſilia videmus cõpaginare. Cauen
dum tamẽ ne ſi fluminis partem alio auertere: vel in foſſas vel lacus
deriuare voluerimus:prius aggeres ex oppoſito & quodãmodo tranſ/
uerſo fluuio cõſtruantur/ quã exploratã habeamus vtriuſq; loci pro/
funditatem & altitudinem:ne nobis q Artanatri Regi contigit eue/
niſſe doleamus. Ille enim:vel q rationem fluminum nõ haberet: vel
vt creditur: nominis propagãdi cupiditate: Melam fluuiũ:qui in Eu/
phratem cõfluebat:ita aggeribus ad illius exitũ appoſitis obſtruxit:
ita moroſum & tumidum reddidit:vt totam Regionem late inũdaret,

nec multo poſt/ moles illa aggeris interpellata aquis/ tantis turbinibus/ tantoq; abrupit impetu: vt multa ſecũ arua traxerit: multaq; ex parte Galatiam/Phrygiamq; vaſtarit. Hominis inſolẽtiam Senatus mulctauit talentis triginta. Idem etiã cõtigiſſet Iphicrati Sriphalim obſidenti: cũ aquam Eraſii fluminis adiectis innumerabilibus ſpongiis obcludere conatus fuit: ni Iouis monitu reuocatus deſtitiſſet. Adhibita igitur diligenti & exacta cura hoc primũ inũdationum incommodum facile præuideri ac reſarciri poterit.

Fames.

Secundum alluuionis malum eſt fames, & rerum omnium caritas/ quod etiam per accidens euenit, & per alluuionem duntaxat antequam meſſes colligantur. Nam ſi poſtquam frumenta horreis condita ſunt: id accidat: nihil detrimenti prouidis affert inundatio/ nec ſi afferat illud tale eſt/ vt facile ex vicinarum prouinciarum frugibus: fames ipſa reprimi poſſit. vbi igitur hominum conſilio & prouidentia incommodum tolli vel leuiter ferri poteſt: illud ex accidenti contigiſſe iudicabimus.

Peſtilentia.

Tertium vero & irreparabile damnum/quod inundationes ex ſui natura nobis portendunt, eſt peſtilentia, quæ nullis hominum artibus, nullo ingenio emendari poteſt, niſi placato Deo. Hæc cum ex multis cauſis oriri poſſit, quas diffuſius explicat Ioannes de ſancto Nazario, in lib. de Peſtilentia, tum maxime ex aquis limo cõmixtis, & ſtagnantibus naſci manifeſtum eſt, vt probat Galenus in libro de differentiis Febrium. Qui quidem limus calore obſitus/ vapores quoſdam lætales & peſtilentes emittit, quibus mortalium corda cõtagioſo anhelitu ſoporantur, & peſtilentia afficiuntur, qualem apud Athenieſes eueniſſe meminit Thucidides, & Illyria pene tota eodem modo vaſtata fuit: vt Appianus Alexandrinus auctor eſt. Cum igitur inundationes plurimum afferant limi, ac omnium locorum ſordes, plura etiam reptilia & cadauera ſecum trahant, non eſt dubitandum quod neceſſitate quadam cogente, vapores debeant ex ea gigni & emitti / quibus humana corpora conficiantur: vt factũ fuiſſe cõſtat Pelagii tẽpore. Et credendum eſt ex eadem etiã cauſa proueniſſe peſtilentiam illam ſæuiſſimam: quam Hiſtorici referunt contigiſſe, Leone Sauro imperante, vbi trecenta & eo amplius ciuiũ millia Romæ peſte conſumpta ſunt, & plures alias, de quibus ſecunda particula diximus. Quod malum ideo Romæ facilius gigni ex præmiſſa cauſa poterit: quia limus ille aquis commixtus, per antra &

ſubterraneos meatus terræ / perque cloacas & cellas occultas, quæ
Romæ plurimæ ſunt, dimiſſus non poteſt omni ex parte mundari
aut extemplo deſiccari, ſed loca ipſa ſemper humectata remanēt; &
mucoſa ſituque quodam ſquallida & fæculenta. ex qua quidem hu-
mectatione aer quo inſpiramus, ab illis cauernis emiſſus, ita con-
cretus efficitur, ita denſus, & putridus, & ſpiſſitudine quadam ne-
bularum & vaporum craſſus & caliginoſus: vt quodam modo ſu-
perciliis hærens aciem oculorum premat & obtundat, ac lætalem
ſpiritum reddat. Atque propterea Ægyptii illi præſertim qui ad Ly-
biam ſpectāt: inter alias gētes maxime gloriantur quod ibi nunquam
auræ corrumpantur vaporibus / nec varietur, eſſeq; ob id valitudine
integerrima, vt refert Herodotus. nam motu fieri quidem opinor, vt
ſurgentes a terra vapores, aut diſſipentur, aut motibus incaleſcen-
tibus concoquantur. Aer enim motu vehementer hilateſcit. Nā ſicut
aquæ / ni moueantur vitium capiunt: ita & aer recluſus ſitu contabe-
ſcit; & triſtiſſimos producit exitus, vt auctor eſt Antonius Guainerius
in tractatu peſtilentiæ. c. i. vbi refert ſe hęc expertum fuiſſe in quibuſ-
dam nauibus aquarum. Ac etiam ſuper Ticinenſium Campania in
caſtro Nicolini de Becharia, vbi aperientibus puteum / veneficus in-
cluſus aer inde erūpens mortem intulit: & apud Babylonem in tēplo
Apollinis inuētam refert Capitolinus hiſtoricus, aureā arculā perue-
tuſtam ex qua corruptus & perinde veneficus incluſus aer / cum illa
refringeretur ſeſe effundens non eos ſolum interemit / qui tunc pro-
pe aderant verum & contagionibus peſtem atrociſſimam in totam
Aſiam: vſque ad Parthos intulit. Ex Amiano item Marcellino hiſtori-
co legimus. M. Antonini & Veri temporibus apud Seleuciam poſt di-
reptum templum: & Romam perlatum Simulachrum Comici Apol-
linis fuiſſe per milites inuētum anguſtum & prius concluſum a Chal-
dæorum vatibus foramen, quod vbi prædæ ſtudio reſerarunt: peſti-
lens exiluerit vapor tam atrox & tam deteſtabilis / vt a Perſarum fini-
bus intra Galliam vſque infecta omnia ſint tetro & funeſto morbo.
Ex præmiſſis igitur apparet: quantum detrimenti afferat aer vapore
quodam incluſus: quantum mali inundationum limus, ex quo aer il-
le nebuloſus gignitur / Sicut etiam de palude quadam exſiccata re-
fert Seruius: quæ peſtilentiam produxit. Nilus etiam qui plus æquo
excreuerat: & cum luto multa & varia animantia concreta reſtite-
rant, quæ deinde ſiccata putruerant: ſæuam produxit peſtem. Et
Roma olim porticibus & ſubgrundiis nimium adumbrata: æſtatis tē-
pore peſtilens erat: vt Pōponius & Blondus meminerunt: non alia ra

atque niſi propter vapores terræ & Tyberis nebulas ãguſtiſſimis por-
ticibus recluſas. Quamobrem cenſuerunt Phyſici ad ſalutem ciui-
tatum pertinere/nec nimis anguſtas vel occupatas habere vias:ne re-
cludatur aer denſus & humidus:neq̧ rurſus nimis latas / vt ſolis æſtu
torreantur. Nam vt ſcribit Cornelius Tacitus / Nero vias vrbis: di-
lataueras & ex eo facta fuit minus ſalubris propter ſolis æſtum / qui
eam feruidiorem reddiderat. Medium igitur ſeruabitur ne magna
latitudine priuentur vmbra: neque nimium anguſta ſit: vt aer com-
putreſcat, vt facile Romæ contingit. Nam Petrus Vergerius in li.
de Situ veteris Romæ teſtatur: Vrbes/quas/aut violentus caſus de-
ſtruxit: aut vetuſtas excedit: eſſe aere inſalubres: cum per ruinam
plures concauitates & ſubterranea loca ſint occluſa & parum ſalubrẽ
emittant aerem; in quo genere ponit Romam/Aquileiam/Rauẽnam
Senogalliam / Adriam / & pleraſque alias vetuſtiſſimas vrbes tem-
porum iniuria collapſas. Nam nihil magis naturæ hominum officit
quam aer humidus / cuius ratione Auſtrum affirmant Phyſici præ
cæteris hominibus eſſe noxiũ etiã animãtibus brutis, nã Auſtro flãte
nõ ſine periculo eſſe in paſcuis animalia volũt/neq̧ ciconias temere
ſe auſtris cõmittere, Delphines etiam per Aquilonem voces audire:
Auſtro vero flante tardius / & non niſi ex aduerſo redditas. Anguil-
las item Aquilone flãte ſine aquis ſenos durare dies aſſerunt: auſtro
non durare: tantamque ineſſe huic vento propter eius denſita-
tem, & craſſitudinem, in morbos vim, vt eum vitæ corroſiuũ appel-
lent. putãt enim humidis tabeſcere corpora omnia/ ſiccis autẽ vel ca-
lidis reparari. Et propterea Appianus ſcripſit Numidas ea de re ma-
xime lõgæuos eſſe, q̧ hyemem nequicq̃ habeãt. Siue igitur huiuſmo-
di aeris humiditas cauſetur ex regionis ſitu ſiue ex cloacaꝝ immundi-
ciis, quæ vt volũt Iuriſcõſulti tit. de Cloacis/cœlũ peſtilens reddunt:
& ædificioꝝ ruinã minantur, niſi mundẽtur, ſiue etiã ex limo inunda-
tionibus inuecto/ſatis apparet hoc eſſe malũ ex naturali quadã ipſius
rei proprietate procedẽs ac humana ꝓuidentia ineuitabile. Acerbius
tamẽ illud eſt/quod ab inundationibus procedit. Nã cum limus aqua
cõmixtus occupet loca ſubterranea, & latẽtes cõcauitates vrbis, mũ-
dari non poſſint: Aer redditur infectus, non ſic in cloacis, & aquarũ
ductibus, quæ arte mundari poſſunt, & multũ ciuitatibus cõferunt,
ſi purgentur. Nã ſicuti ad ſalubritatẽ ciuitatũ pertinet, habere ductus
& cloacas bene mũdatas, ita ad inſalubritatẽ refertur eas habere im-
mũdas ob ꝑmiſſam cauſam, vel nullas habere ad quas ſordes domus
quæ aerẽ denſum reddũt: deriuẽtur, & decurrãt. Propterea Smyrnã

vrbẽ, in qua Dolobella Treboniũ obſidione liberauit, dicũt hiſtorici
inter alias vrbes fuiſſe pulcherrimã viaꝝ directiõe & operũ ornamen
tis, ſed alioqui ſordidã & peſtilentẽ, ꝙ cloacæ nõ ſint, ꝗbus immũdi/
ciæ & ſordes emiſſę excipiãtur, qua de cauſa fœditate hoſpites offen/
debat. Idem de Sena Ethruriæ ciuitate nobiliſſima fert, quod ſolũ ad
ornamentũ & cõmodum ciuitatis deſunt cloacæ. Ex quo fit, vt nõ ſo
lum prima vltimaqꝫ noctis vigilia, quibus horis congeſtarũ ſordium
vaſa ex feneſtris fundũtur, tota fœteat, verũ & inde interdũ obſcœna
& grauiter humectata ſit, quod cũ nos ipſi aliquando experti ſimus,
ita etiã de hac re auctor eſt Albertus li. i. de architectura. Ex his igi/
tur ſatis cõſtat quantũ mali/quãtum etiã damni afferat limus immũ/
diſſimus inundationũ aquis vndiqꝫ collectus & mixtus/qui vt ſæpe di
ctum eſt/ per obtruſa vrbis loca dimiſſus/ perqꝫ antra/cloacas/& mea
tus recluſus/neceſſaria quadã ratione peſtilentiã gignit/vt ſæpe fecit,
& ſecũda particula tractatus enarrauimus. Quæ omnia cũ in ma/
nu Dei Opt. Max. ſint poſita / neqꝫ hominum conſilio euitari vale/
ant: Eundem pia mente rogabimus, Dignetur eam finibus noſtris
auertere: & tandem iam laborum tantorum miſereri.

FINIS.

ROMÆ APVD F. MINITIVM
CALVVM. ANNO M. D. XXXI.

CO
1